

in impios inflicta late diffunditur, & non paruis terminis circumscribitur: *Omnis sanguis iustus.* Syriacus. Iustorum sanguis dat voces contra iniquos, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti. Quem occidit Cain, cuius scelus punitum videntes Iudæi affectu, & animo sunt imitati occidentes fratres suos Iesum Christum, ac eius Apostolos; de quo quæst. 6. *Vsq̄ ad sanguinem Zacharia filij Barachia.* Qui inter iustos, illius sanguis vltimo effusus erat ab iniquis. Ac proinde tanta pœna venit super vos, ac est debita omni sanguini iusto effuso à primo iusto vsque ad vltimum. Et hic est genuinus sensus de quo citata quaestione, quem occidistis inter templum, & altare; aggrauatur malitia criminis ex loco facto prophanato, ac violato, & vt notat Origenes homil. 26. in Matth. *Inter templum etiam, & altare ab impijs memoria interficitur Dei, quando templum Dei, à lasciuia corrumpitur.* Cùm memoria Dei interficitur, violatur templum, & hoc à lasciuia ministratur, quæ omnium diuinorum contemptum parit. Vide tom. 3. cap. 32. num. 74. & num. 93.

QVÆSTIO VI.

Quare Dominus cùm minatur Iudæis non facit mentionem de suo sanguine, cùm ob ipsum effusum facta fuerit strages Ierosolymitana?

35. Ratio diffinitio.

Luc. 19.

36. Origenes.

Rex suorum militum sanguinis, vt proprium estimet.

37. Hilar.

MINATUR Dominus miseris Iudæis vniuersale eorum excidium, & perniciem, quæ sub Tito, & Vespasiano post Christi mortem est facta, & conueniunt Patres vnanimi consensu tantam deuastationem in populum irruisse ob mortem Domini; sic ipse dixit: *Eo quod non tempus visitationis tuæ,* Luc. 19. n. 44. Quomodo ergo Christus Dominus in præsentem inducit clamorem vindictæ ad pœnam infligendam à sanguine tot iustorum effuso nulla dispendij propriij sanguinis facta mentione.

Respondet primò Origen. homil. 25. in Matth. *Propter quod,* ait, *venit super vos omnis sanguis iustus, quem effuderunt.* Et non solum, tunc vox sanguinis Abel clamat ad Deum, aduersus eos, qui euertere eam volunt, & sanguis testamenti, id est, veritas Scripturarum ab impijs effusa, secundum quod diximus à sanguine Christi, id est, à veritate. *Euangelij capta per omnes Scripturas, interpellat ad Deum aduersus eos, qui euertere eam volunt.* Quod latius prosequitur; sanguis ille prædictorum iustorum, qui præcesserunt ante Domini aduentum, effusus ob veritatem, ac fidem Christi venturi, in Scripturis manifestatam. Cùm ergo sanguis ille iustorum efflueret ob veritatem, ac fidem Christi, inde tanto pretio est habitus à Domino, vt pariter cum eorum sanguine, sanguis Christi videretur effusus. Ob magnum principibus documentum, vt suorum militum sanguinem ob eorum amorem, & fidem in prælio effusum, tanquam proprium estimet, vt magno præmio, ac decore afficiant, & vt inflicta pœna iniuriam suis illatam, vt propriam vlciantur.

Secundò. D. Hilar. Can. 24. in Matth. *Et idcirco Abel, ait, sanguis, & Zacharia in hanc eorum*

posteritatem venturus ostenditur; quia iam in his habitans Christus, & prædicans erat passus. In iustis illis præfigurabatur Christus, tales enim iusti missi sunt tanquam legati, ac nuntij ipsius Christi, cùm ergo eius personam agerent, in sanguine eorum effuso sanguinem Christi esse effusum, & illis patientibus Christum esse passum intelligebatur, quem enim foris prædicabant, intrus in illis erat habitans; mortem enim & iniuriam seruo, ac ministro illatam in Dominum, ac principem retorqueti communis approbat consensus.

Iniuria in seruum, in dominum est illata.

38. Eusebius.

Tertiò. Eusebius Emyssenus: *Puto enim, ait, quod Dominus noster seipsum Zachariam vocat, & præterito pro futuro vitur; Interpretatur enim Zacharias, memoria Domini, sicut enim Christus Iesus dicitur Verbum Domini, sermo Domini, virtus, & sapientia Domini: sic etiam dicitur memoria Domini. Et iste quidem est Barachia filius, qui benedictus Dominus interpretatur. Vnde, & ipsi principi Sacerdotum, interroganti, an esset Christus Filius benedicti, respondit: Ego sum. Hunc autem occiderunt Iudæi inter templum, & altare, quoniam ibi Christi mortem inter se consiliati sunt. Comminabatur Dominus Ierosolymæ sui exterminium, & ruinam, & sub nomine, ac sanguine Zachariæ seipsum passum intelligens; nam Zacharias interpretatur memoria Domini, & est filius Barachia, id est, benedicti, Christus Dominus dicitur Dei memoria, & est Filius Dei benedicti: Sed iam insurgit difficultas. Cur Christus vaticinans rebellis populi extremam cladem ob facinus suæ mortis paratum, passionem suam sub nomine Zachariæ abscondit? Coarctabatur Dei Filius prædicare extremam ruinam miseræ ciuitatis ob scelus sanguinis sui effusi, & simul videbat vltionem in inimicos à generosa Dei Filij indole valde degenerem esse, nouerat enim inimicorum amorem diuinæ filiationis insigne esse. Artem ergo inuenit, qua & vaticinium ederet, & honorem suum illatum seruaret; sese sub feruorum nomine Abelis, ac Zachariæ abscondit, vt Gentis suæ obuentionem exterminium ob internecionem in se perpetratam denuntiet; Veluti cum Vir illustris turpe facinus alienum à sua nobilitate, de quo verecundatur, & pudet, aggredditur, suum nomen & habitum deponit, & à seruis mutuatur; Sic Christus Dominus vltionem in inimicos ob suam necem perpetratam denuntiat, tanquam quid à se alienum, & extraneum reputans nomen, & habitum à seruis assumit, ne vaticinium vindictæ inimicorum aliquo modo maculetur.*

Vindicta in inimicos valde aliena à Filio Dei.

39. Psal. 108.

Filius Dei remouet à se omnem suspicionem vindictæ in inimicos.

Tanquam in persona Christi loquens Regius Vates, ait, *Fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius,* Psal. 108. num. 13. Hebræus legit: *In generatione altera deleatur nomen eius.* Funestus casus in Christi mortis pœnam vaticinatur. Cur tamen supplicij furor, ac vindictæ feruor non exardet in generatione, in qua obiit Dominus, sed in generatione altera sequenti nempè: Cur pœna tanti sceleris in tantum tempus differret? Maxime, vt ita dicam, se gerit scrupulosum Dei Filius in exercenda vltione, maximeque curat omnem odij erga inimicos à se remouere suspicionem. O mirum artificium diuinæ pietatis. Differatur pœna ad generationem alteram, nam si in illamet generatione grassata fuisset ruina, in qua Christus à perfidis est interfectus, cogitaret aliquis diuinam iram fulminatam

fulminatam esse in transgressores ob vindictam Dominici sanguinis. Distrahatur ergo supplicium in alteram generationem post quadraginta duos annos, quando iam qui necem Domini perparrarunt, è vita discesserant, vt existimat D. Hieronym. citandus, vt pœna exerceatur non tam ob sanguinem effusum, quam ob eorum obstinatam duritiem, cùm enim tot anni essent eis concessi ad pœnitentiam, & dolorem, quem ipsi contempserunt, & respicere noluerunt, sed in sua nequitia, ac malitia obfirmati permanserunt. Pic, & eruditè D. Hieronym. ad prædictum Psal. *O Sacramentum Prophetia, ait, in generatione vna deleatur nomen eius. Post Passionem Domini quadraginta duo anni transferunt, & populus iste deletus est. Siquidem perfecta ætas quadagesimo anno venit. Post passionem Domini quadagesimo secundo anno deleta est Ierosolyma. Videte ergo quoniam in generatione vna deletum est nomen eius. Sed in hoc clementia est Domini, crucifixorum eum, & quadraginta duos annos dedit eis ad penitentiam. Ego simpliciter dico. Propterea interfecit eos post quadraginta duos annos, quia ex illis, qui crucifixorum Dominum, nemo remanserat ex eis.* Vide supra cap. 9. num. 89. & multa tom. 2. in Indice verb. *Amor inimicorum.*

Hieron.

QVÆSTIO VII.

Quare Christus Dominus expressè vocat Abelem iustum, non verò expressè dicit iustum Zachariam?

40.

Ratio diffinitio.

41. August.

CHRISTVS Dominus in præsentem expressè vocat Abel iustum, à sanguine Abel iusti, verum cùm Zachariam nominat, non vocat ipsum expressè iustum, cùm ipse Zacharias iustus esset, & à perfidis ob iustitiam occisus esset, cur ergo Zacharias non dicitur etiam iustus sicut & Abel? Ratio litteralis est manifesta; quia ipse etiam Zacharias insinuatur, & supponitur iustus, vt clarissimè patet ex textu Luc. *Vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, à sanguine Abel vsque ad sanguinem Zacharia.* Abel verò dicitur iustus vt in capite, ac initio positus, vt magis statim explicabo.

Secundò. D. Augustin. lib. 1. de Mirabil. c. 1. *Hinc Abel, ait, Dominus Iesus Christus primarium iustitiam hominum commisit, ita inquit: à sanguine iusti Abel, vsque ad sanguinem Zacharia: & non addit, iusti, hereditatem iustitiae Abel tenere Zachariam ostendens.* Cùm Zacharias ob iustitiam occisus sit, etiam expressè non nominatur iustus vt ille? Abel primus extitit, qui omnem perfectionem iustitiae in martyrio, Sacerdotio, ac virginitate præfigurauit, ex quo cæteri omnes iusti suam iustitiæ partem assumunt, de eiusque meritis non parum proficiunt in iustitia: sicut & ipse Zacharias, qui & in Martyrio hereditate fruitur ipsius Abel: *Hereditatem iustitiae Abel tenere Zachariam ostendens.* Imò & ipse Zacharias à parente videtur accepisse; nam dicitur filius Barachia, hoc est benedicti, quasi ipsam benedictionem à parente accepit. Merito ergo Abel insigniter est notus à Deo ex nomine iusti, cum ipsam iustitiam absque alicuius exempli commendatione ex suis meritis comparauerit; At verò iustitiam iam in alijs delineatam, & à maiori-

Abel commendatur cum iustitiam ab alijs non accepit.

bus veluti transfusam accepit Zacharias, ideo iusti nomine vt Abel non commendatur.

Dicitur de Moyse loqui cum Deo facie ad faciem sicut solet homo loqui ad amicum suum, & tandem pro magno eius elogio scribitur notus Deo ex nomine. *Cum dixeris: noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me.* Exod. 33. num. 12. Emod. 33. Quid magis commune omnibus hominibus, quam quod à Deo cognoscantur ex nomine? Nulla est tam vilis creatura, quæ à Deo ex nomine suo non cognoscatur. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat,* Psal. 146. num. 4. Quid est ergo, quod pro magna gloria Moyse dicitur Deo notus ex nomine? In populo Israël alij erant noti Deo ex suorum parentum virtutibus; Dominus Deus patrum vestrorum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Exod. 3. num. 16. Pro re valde magna Moyse dicitur notus Deo ex nomine, alij tanquam virtutibus destituti noti erant ex parentibus; At Moyse vt præstantissimus notum sibi fecerat nomen ex propriis meritis, absque eo quod maiorum suorum aliqua commendatione indigeret. Quamuis enim à tantis parentibus natus non esset ipse per se sufficiens inueniebatur vt notus esset ex nomine. *Caetan. Noui te, ait, in nomine, hoc est, approbati te nominati, secundum propria tui, & hoc ad differentiam populi, quem nouerat Deus, non proprio populi nomine, sed nominibus Abraham, Isaac, & Iacob, hoc est non propriis, sed alienis meritis. Significatur enim per hoc Moyse tanta præditus virtute, vt propriis meritis approbatur, etiamsi non esset filius Abrahæ, Isaac, & Iacob.* Singularem præstantiam non ex meritis, sed ex propria virtute agnoscit Caetan.

42.

Exod. 33.

Psal. 146.

Exod. 3.

Singularem præstantiam non ex meritis, sed ex propria virtute agnoscit Caetan.

43. August.

Primus in aliqua virtute magna excellentia notatur apud Deum.

Tertiò. Ad quaestionem Idem D. Augustinus citato loco sic ait: *Dauid autem Rex genuit Salomonem: cui non additur regem, cum Salomon patris regno teneret maius imperium. Sed ex hoc intelligitur patris sui Dauid regnum Salomon hereditario iure possidere, & ad Dauid honorem regni plus pertinere, quod & Abel in iustitia hominum primatum tenuit, quod primus in terra iustus fieri cepit. Nominatur Abel iustus, & Zacharias cùm ob Deum glorioso martyrio sit coronatus, hoc iusti nomen non accipit expressè. Cur Abel præ Zacharia iustus nominatur? Abel primus venit ad martyrium, ex quo singulariter iusti nomen promeruit; sicut & Dauid qui primus fuit in regno ex tribu Iuda, ipse solus in Christi genealogia Rex nuncupatur. Qui enim primi in aliqua virtute Deum colunt, sine dubio præ cæteris maiori aliquo titulo nobilitantur.*

Secundo, & tertio commendatur Iehu, & à Deo destinatur legatus ad regem. *Factus est sermo Domini ad Iehu filium Hanani.* 3. Reg. 16. num. 1. Deinde nobili nomenclatura Propheta nuncupatur. *Cum autem in manu Iehu filij Hanani propheta Verbum Domini factum esset.* Ibidem n. 7. & iterum Propheta à rege interfectus dicitur. *Ob hanc causam occidit eum, hoc est, Iehu filium Hanani, prophetam.* Ibidem. Notatu dignam cur scriptura tam reuerenter semper loquatur de Iehu, eumque semper specioso aliquo titulo dicat? Non ait tantum occidit eum, sed statim explicat *Iehu prophetam.* Alij sæpè sine aliquo titulo introducuntur. *Dixit Elias Thesbites,* 3. Reg. 17. n. 1. *Dixerunt viri ciuitatis ad Elisum,* 4. Reg. 2. n. 19. *Venerunt serui Regis ad Isaiam.* Dixitque eis Isaias, 4. Reg. 19. n. 5. *Cogitauerunt contra Ieremiam, &c.* 4. Reg. 19. At Iehu semper insigni aliquo titulo scribitur, vel cum sermone Domini in mente, vel manu,

44.

3. Reg. 16.

3. Reg. 17.

4. Reg. 2.

4. Reg. 19.

4. Reg. 19.

vel.

vel Propheta nuncupatus. Cur sic nobilitatur? Inter ceteros fuit primus Iehu, qui ob prædicationem Dei verbi vitam martyrio effudit, & inde singularem excellentiam inter ceteros ex Deo meruit, quando nullus est primus in aliqua virtute ex Deo, qui etiam non insigniatur aliqua excellentia. Rupertus lib. 5. de Victore cap. 5. *Vbi sermo, ait, vel opus est de victoria Verbi Dei, latere non debet is, qui sanguinem fuisse primus legitur in prælio Verbi Dei.* Et postea subdit: *splendide illum scripturâ Sacra nominans, ita loco tertio replicat. Occidit eum, hoc est Iehu prophetam.*

Ex Dei iussione ad sacrificandum filium suum pergit Abrahamus, montem ascendit, aram struit, filium stringit, gladium vibrat, vt filio mactato sacrificium offerat. E cælo clamat Angelus. Ne extendas manum tuam super puerum; dicens, *nunc cognoui quod times Deum.* Gen. 22. num. 22. & subdit. *Quia fecisti hanc rem benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cali, &c. Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Ob quod factum omni benedictione, gratia, & dono sublimatur Abrahamus, indeque promeruit, vt primus expressam promissionem de Verbi Incarnatione à Deo, acceperit; ob quam rem maximè ipse in tota scriptura decantatur, ac celebratur. Cur tantis nobilitatur Abrahamus? Nonne etiam Iepthe post victos hostes filiam suam summo Deo non tantum affectu, sed etiam effectu obtulit? Iudic. 11. n. 31. & etiam vanis diis Rex Moabites Hebræo exercitu obsessus. 4. Reg. 3. n. 27. Cur ergo solus Abrahamus sic extollitur, tantisque donis perillustri redditur? Exiit Abrahamus primus, quia ex propria sua substantia, ex proprioque sanguine suo, in vnigenito filio Isaac Deo obtulit sacrificium, inde ipse pro tam magno facinore, omni laude, & gloria extollitur. Philo lib. de Abrahamo. *Ipsè, ait, primus Auditor suorum erat noui, & imitari exempli.* Ex quo liceat coniecturari magnas laudes Stephani, qui primus pro Christo sanguinem suum fudit, sequè ipsum in sacrificium glorioso martyrio dedit. Vide suprâ cap. 2. n. 158. & cap. 5. n. 117. & cap. 8. num. 14. & 123.

QVÆSTIO VIII.

Quare super Iudeos minatur venturus omnis sanguis, qui effusus est à mundi constitutione?

GRANDIS difficultas se se offert in hac materia, cur scilicet dictum sit à Domino venturum super Iudeos omnem sanguinem, id est omnem pœnam debitam sanguini effuso, à mundi exordio, seu à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ? Quomodo fieri potest, vt Iudæi exoluant pœnas sanguinis, quem effudit Cain, quem & multi alij à constitutione mundi effuderunt? Quis enim dicat propter cædes, quas perpetrarant Cain, aliique multi similes, Iudeos esse puniendos? Cum ab eis iuxta communem opinionem non descenderint, quidquid dicat Abulens, quæst. 260.

Hæc magna difficultas in varias fecit abire solutiones Patres, & Interpretes. Circa illam Barradas tom. 3. lib. 8. cap. 28. decem solutiones affert, quæ apud ipsum videri possunt.

sunt. Breuiter tamen quid in hac re sentio, dicam.

Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ. Id est tam grandis est vestra culpa, vt promeretur omnem pœnam, quæ correspondet omni sanguini effuso ab Abel vsque ad Zachariam, nam si omnia homicidia iustorum ab exordio mundi perparrata fuissent à Iudæis non poterant grauiori affici supplicio, quam priuatione omnium bonorum spiritualium, & temporalium. Priuari sunt ab omni bono spirituali fidei, gratiæ, gloriæ, & in æternum damnati; priuari sunt etiam ab omni bono temporali suæ reipublicæ, suæ patriæ, vitæ, libertatis, ac omnium bonorum, & filiorum. Vnde ait Chrysofomus in Imperfecto homil. 46. *Sicut omnia bona, ait, quæ in singulis generationibus à constitutione mundi omnes sancti mirabantur, illis nouissimè sunt donata, qui receperunt Christum, sic omnia mala, quæ in singulis generationibus à constitutione mundi pati meruerunt omnes iniqui, & sanctorum interfectores, super nouissimos Iudeos venerunt, qui Christum repulerunt.*

Aliter Euthymius, sic ait. *Lucas dixit, vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi. Docet autem quiddam tremendum sermo iste. Qui enim peccatorum nouit pœnas, & nihilominus eos imitatur, reus est, vt ab eo exigantur omnium supplicia: hoc est pro vno quoque pœnam luat, eo quod exemplo eius se se non refranauerit. Non fat erat vt miseri Iudæi sui sceleris debitam pœnam soluerent, sed etiam præter hanc exoluerent pœnas Caini, Manasses, Achabi, ac omnium aliorum, qui sanctos interfecerunt, merito sanè non videntes mala in alios peccatores venientia ob illorum scelera non se ab illis abstinerunt, sed in eisdem insisterunt, durius enim castigandi sunt, qui videntes aliorum pœnam, ab illorum non fugiunt vitis.*

De Baltazate rege scribitur, quod in grandi conuiuio suis optimatibus exhibito. *Præcepit iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem.* Daniel. 5. num. 2. Ad quid fit mentio de Nabuchodonosore parente eius? Nonne sufficiebat ad rem dicere, quod imperauerit afferri vasa aurea à Ierolymis allata? Ad quid ultra exprimitur Nabuchodonosorem fuisse eorum portitorem? Proponitur Baltazar temulentus, ac tanquam à iudicio alienatus, vt ergo eius temulentia, ac insanie daretur euident testimonium, dicitur quod ausus fuerit Nabuchodonosoris seuerè à Deo castigati scelera imitari. Qui enim videns prædecessorum scelera castigata, ab ipsis non cauet, sed eorum iterum reus efficitur, prorsus amens, & temulentus est.

Corroboratur magis hæc res; nam cum ex Dei nutu promulganda esset extrema sententia contra Baltazarem referuntur pœnæ, quæ vindice diuina iniustitia impositæ sunt parenti eius Nabuchodonosori. Quomodo à filiis hominum sicctus sit, & cor eius cum bestiis fuerit, & scenum vt bos comederit. Tunc subdit Propheta. *Tu quoque filius eius Baltazar non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia, sed aduersus dominatorem cali eleuatus es.* Daniel. 5. num. 22. Inde enim aggrauatur culpa, quod cum videret parentis scelera tam rigide punita, ab illis non se præseruauerit, sed in eadem prolapsus est. Vnde rectè monet Cassiodorus

Cassiod. Cassiodorus lib. 7. Variar. cap. 2. *Decessorum bona exempla sequere: à vitiorum te imitatione diserge; cauum te debet reddere, non sequacem error alienus. Prodi iustitia culpam, qui sequitur accusatum.* Vide suprâ cap. 3. n. 17. 18. 19.

Euthym. & Theophylactus, eam etiam docent D. Thomas in Catena, Dionysius, Carthusian. Baronius in Apparatu Annalium, Christophorus à Castro præfat. in Zachariam, Franciscus Lucas hic.

QVÆSTIO IX.

Quare Zacharias nominatur, & quis sit iste Zacharias?

Vos iustos proponit Christus in præsentia, Abel vt primum, Zacharium vt extremum, nam licet iuxta primam, & secundam sententiam referendam, post Zachariam, alij Prophetæ fuissent occisi à Iudæis, tamen hic Zacharias, de quo hic agitur, est vltimus, cuius eadem Scriptura commemorat. Secundò. D. Chrysof. ait: *Vt ostendat illos ex inuidia Christum, & Apostolos occisuros, sicut ex inuidia Cain occidit Abelen: Zacharias vero, quia Sanctus in loco sancto interfectus est.* Tertio. Caictan. Ideo, ait, hi soli inducuntur, quia in his tantum Scriptura petitionem vindictæ explicat in Abel, *Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra,* Gen. 4. n. 10. In Zacharia vero, qui cum moretetur, ait, *Videat Dominus, & requirat,* 2. Paralip. 24. n. 22. Quia enim de vindicta sanguinis iusti Iesus loquebatur, par fuit, vt illorum iustorum sanguinem, quorum vindicta petita traditur in sacra Scriptura. Ita Caictan. Vt agnoscamus, quod perpetuè Iustorum sanguis clamat, & dat voces, ad quod respiciens Tertull. aduersus Gnost. ait: *Zacharias inter altare, & adem trucidatur perennes cruoris sui maculas scilicet assignans.*

Quisnam sit iste Zacharias quæstio inquit principaliter. Prima sententia est Chrysofomi homil. de S. Iohanne Baptista. Vatabl. Ariæ Montani, Gasparis Sanchez, Francisci Ribeiræ in præfat. Zachari. & aliorum, qui contendunt intelligendum esse Zachariam penultimum inter minores Prophetas: hic enim dicitur filius Barachia, quod tamen occisus sit inter templum, & altare, nusquam legitur.

Secunda sententia, Zachariam hunc esse filium Ioiadæ Summi Pontificis occisum à Rege Ioas, inter templum, & altare holocaustorum, id est, in atrio sacerdotali, 2. Paralip. 24. num. 22. Postque Ioiadam patrem eius, vt pote virum sanctissimum vocari Barachiam, id est, benedictum Domini. Ita docent D. Hieron. Beda, Albertus Magn. cum Tertulliano in Scorpiano cap. 8. Sunt etiam in hac sententia multi Recentiores; Iansen. Maldonat. Barradas, Estius, & alij.

Tertia sententia affirmat esse Zachariam patrem Iohannis Baptistæ: parentem eius Barachiam dictum affirmat Hyppolitus Martyr apud Nicophorum lib. 2. Histor. cap. 3. Hanc sententiam vt apocrypham reicit D. Hieron. Eam tamen tenent grauiissimi Patres, & Doctores. D. Cyrillus contra Athetopomorphitas, S. Epiphanius lib. de vita, & obitu Prophetarum, Petrus Alexandrinus in regulis Ecclesiasticis. can. 3. Origenes homil. 26. in Matth. D. Gregor. Nyssen. homil. de Natiuit. D. Basilii homil. 26. de Humana Christi generatione. Hanc sententiam de Patre Iohannis Baptistæ esse ex Patrum traditione, *Quæ circa scriptum per manus peruenit ad posteros.* Assumant Sylueira in Euang. Tom. IV.

Ex quibus Origenes, D. Gregor. Nyssenus, D. Basil. dicunt, quod propterea Zacharias occisus est à Iudæis, quia Beatam Virginem post Christi partum inter Virgines in templo collocauerit; Hoc tamen non videtur habere firmum fundamentum propter multas rationes, quas adducit hic Abulensis quæst. 255. Alij dicunt, quod propterea occisus est, quia in nece puerorum filium Iohannem Baptistam abscondiderit. Verissimilius est, quod ideo interfectus, quia Saluatoris prædicauerit Aduentum. Ex his sententiis D. Paschas. lib. 10. in Matth. Tyrimus, Cornel. has duas vltimas valde probabiles iudicant, ac iudicio lectoris relinquunt, vt probabiliorem eligat. Pro hac vltima sententia facit, quia Pater Iohannis est vltimus iustus occisus, ad quem Christus videtur maximè respicere.

Matth. 23. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

Num. 37. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluiti.

VERSIONES.

Vatabl. n. 56. Amen dico vobis, redundabunt hæc omnia in nationem istam.

Syriac. n. 37. Ierusalem, Ierusalem, trucidans Prophetas, & lapidibus obruens eos, qui ad eam mittuntur.

Arius. Occidis, & lapidas Legatos ad te.

S. Iustin. Mar. Quæ interficis Prophetas, & lapidibus obruis eos.

D. Prosper de Quoties volui Ierusalem prædict. p. 2. colligere filios tuos, sicut gallina colligit pullos cap. 5. congregat filios suos sub alas, & noluiti.

ALTER TEXTVS.

Luc. 13. n. 34. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluiti?

Qui pro Deo vitam dedit, prior maxime colitur.

Rupert.

45.

Gen. 22.

Primus in opere, & exemplo præ ceteris extollitur. Iudic. 11. 4. Reg. 3.

philo.

46. Difficultas quæstionis.

Abulens. 47.

Barrad.

48.

Genuina saluo.

Chrysof.

49.

Durior pœna in illum venit, qui visis aliorum supplicio non corrigitur.

50.

Dan. 5.

Demens est, qui non refugit maiorum peccata castigata.

51.

Dan. 5. Parentis pœna emendatum reddat filium.

Cassiod.

52.

Chrysof.

Caictan.

Gen. 4.

Sanguis iustorum dat voces.

Tertull.

53. Quis iste Zacharias.

54.

2. Paral. 24.

Hieron.

Beda.

Alb. Maga.

Tertull.

Iansen.

Maldonat.

Barradas.

Estius.

55.

Hyppolitus.

Cyrill.

Epiphan.

Petr. Alex.

Origenes.

Gregor. Basil.

Euthym. Theophyl. D. Thom. Carthuf. Baron.

56. Greg. Nyss. Basil.

Abulens.

Paschas. Tyrim. Cornel.